









MEDITATIO
IN NATALEM SAL-
VATORIS CHRISTI IE-
SV, DEI ET MARIAE VIRGI-

nis Filij carmine sotadico.

autore



M. NICOLAO MAIO.



Ad lectorem.

*En mea Calliope celebravit carmine Christum
Grataq; pro meritis gestijt esse DEO.
Si quid inest duri, velut est, hoc quaeso feratur
Candore attribui quem sibi quisq; velit.
Seu tamen à dextra relegas seu parte sinistra,
Et sensu & numeris conuenienter eunt.*

ERFVRDIAE
Georgius Bauman excudebat.

M. D. LXXVI.

17

Cl 2 225



MEDITATIO
DE NATALIBUS
SANTISSIMAE VIRGINIS
MARIAE

M. NICOLAUS MAIOR



Adlectorem.
Hic est liber in quo continentur
meditationes de natalibus
santisissimae virginis
mariae. Hic tractatus
est de primis diebus
post partum. Hic tractatus
est de primis diebus
post partum.

ERFURDIAE
Georgii Bannarii excudebat.
M. D. LXXVII.



NOBILISSIMO AC
SAPIENTISSIMO SENATVI.

*Amplissimis autoritate patribus, Dn: Consulibus,
totiq; Inclytæ Hallensis in Saxonia Reipub:
S. P. D.*

HAec est illa dies, qua Christus ab æthere missus,
Post varias tandem clades, post mille pericla,
Visit humū: nostrā massam, sine crimine massam
Indutus, patrias clemens placaret vt iras,
Et generis nostri casus tristesq; ruinas
Solatus stygij vires confringeret orci.

Nos igitur tantos festi celebremus honores
Pro meritisq; DEO grates referamus oportet
Quod, (poterat rebus quoniā par esse gerendis
Nullus homo) nigris hominē seruarit ab vndis.
Sint alijs alij grates: ego gaudia gratæ
Testabor mentis, Christoq; in Carmine grates
Gratus agā. Tibi q; populi pars, magne senatus,
Et series patrum longos cui stemmata factis
Illustrant titulos, famamq; ad sidera tollunt,
Offero. Sis censor: & iudex fueſce vocari
Carminis istius, quantumq; per ardua possis
Consilia exiguam placido lege pectore Musam.

A ñ

Sic

Sic tibi Dij cœlo quæ sunt optanda secudent,
Sic nouus exactis qui mensibus incipit annus
Sit felix: Crescant vocalis dulcia verbi
Munera, vanescant rigidi Contagia Martis,
Et cœli infecto tractu qua viuimus, aura
Sanior aspiret seruans hominesq; ferasq;.



Nobilis: Senatui totiq; Reipub:
Hallenfi in Saxonia.

Addictissimus

M. Nicolaus Maius.

MEDITATIO
IN NATALEM SAL-
VATORIS CHRISTI IESV, DEI ET MA-
riae virginis Filij carmine fo-
tadico.



Acteolis age cur procedit Cynthia bigis,
Lumine nox lucet quid mihi splendidior?
Cur vaga diffugiunt pallenti nubila caelo,
Caelica terrenis cur ita conueniunt?
Latitiae sibi nox caelestis conscia, CHRISTI
Tempora natalis num modo concelebrat?
Calliope pia des qua propter carmina CHRISTO
Pristina nascendo quod bona restituit.
Ceruleus freta nec contristet turbine Nereus,
Gaudia perturbet nec pia, Tisiphone.
O DEVS, o Puer, haec turgentes crimine sordes
Aethere descendens quid tibi concilias?
Num mihi concilias commoti feruida Patris
Pectora: dissoluis num graue seruitium?
Quis tua siderei te cogit relinquere caeli
Limina, quò pro me tot mala sustineas?

A ij

Num

Num mea stelligero retrahunt te crimina cælo?
Pectora num Patris tu mihi concilias?
Hoc erat: ô amor, ô mansuetis gratia factis
Tormina tu patris quæ mihi debuerant.
En caret hospitio parent cui sidera cæli,
Sidera cui parent en caret hospitio.
Cui vaga siderei parebant sidera cæli,
Frigida vix tellus huic dedit hospitium.
Mirifico sibi nos coniungit fœdere cæli
Fœdere monstratur quo via supplicibus.
Hoc Patris ætherei feruens & tollitur ira,
Clauditur hoc Phlegethon, styx via tristitia.
Iusticiæ fera nos damnabant fulmina quondam,
Crimina poscebant nil nisi supplicium.
At Pater unigenam demittens æthere Natum,
Gaudia dat vitæ pro nece supplicibus.
O puer Immanuel, pax & spes altera mundi,
Virgine qui prodis sed sine criminibus:
Non tibi sufficiunt pro tantis, cælica, laude,
Agmina peccatis grex sine, muneribus.
Haud loquor ingenij vires, vel robor a nostri,
Munera nos verbis haud satis assequimur.
Non tua perspicitur Pietas & pectoris ardor,
Diligis, ut fratres, quo tibi terrigenas.

Nam

Nam sua supplicibus tantis quis pignora culpa
Conscia nequicquam, quis modo subijceret?
Supplicium graue IVs deposcit iudice coram,
Parcere subiectis vult neq; supplicio.
At parat exitium, referens: pro crimine poenas
Postulo, sic est fas, ut reus intereat.
Hæc soror adseruit verbis quæ conscia VERI,
Dicere consuevit nil nisi simplicibus.
Illachrymans soror his: damnatos blandula seruet
Gratia, mortales, non ita dispereant.
Huic comes ingreditur Virtus quæ candida vestis
Symbola fert, gestu non sine pacifico.
Iusticiam pia sed Bonitas, Pax aurea, Legis
Fulmina dum placat, mors fera conteritur.
Mors neq; terribilis frendet, nec liuida torquet
Spicula peccatum, lex neq; sollicitat.
Quæ noua temperies tollit pro crimine mortem,
Mollia cum rigidis quid sibi conueniunt?
Hic stupet ingenium, pallescunt lumina, sensus
Intima mutescunt, hic tacet eloquium.
Hoc opus aspiciunt mortales lumine tantum,
Fœdera scrutantur nec sacra concilij.
Viuificis tibi cor liquescit siccine flammis?
Siccine tu reddis nos tibi participes?

Te

Te vaga concipiunt cœli non sidera, ventris
Viscera sed capiunt te sacra virginei.
Quæ mala constituunt te fontem? crimina IESV
Maxime, quæ causse sunt tibi supplicij?
Quot mare velivolium fluctus, habet aurea cœlum
Sidera quot, confers tot mihi letitias.
Quæ mala mortifero commisi crimine seruus
Omnia sustentans his DEVS afficitur.
Hunc, scelus intulerat nobis qui, gratia saluat,
Crimina condemnant quem neq̄ polluerant.
Hospitio caret, haud formidans frigora, iura
Mitia saluatis ut paret hospitij.
Quò tua progreditur Pietas, quò gratia spectat,
Gratia quò, Bonitas quò tua progreditur?
Num mea corripuit Genitor te crimina propter
Debita quo ferres tu ^{nostra} Iusticia?
Ambitio leuis heu nos cepit turgida circum
Pectora, te Pietas, te pia simplicitas.
Insolita hûc venis Rex Regum maxime pompa,
Prandia nec luxu sunt tibi regifico.
Luxurie mihi sunt regali prandia, tu Rex
Optime, non fruereis quæis ego delicijs.
Te, quia diuitijs prædnes diffluo, vexat
Aspera paupertas, & famis asperitas.

Tu,

Tu, quia sollicitus curis haud tristibus angor
Percipis hinc curas, hinc premit exilium.
Illicitus trahit ad nos esus, Demonis astus
Sedibus è patrijs te tua simplicitas.
Cum mihi complacuit de ramis carpere poma,
Sumere fel mordax non tibi displicuit
Letitia pia dat nobiscum iubila Mater
Cœlica per lapsum quæ bona perdiderat.
Sed tibi compatitur genitrix tunc innuba, membra
Vulnere collustrat cum tua sanguineo.
Impietas viden ut Rex te Rex extera vincat,
Respice me Pietas quàm tua salvificet?
Spurcities mea quæ sit vitæ cogito Christe,
Respice sit rursum quæ tua mundities.
Collibuit tibi sic humani scilicet artus
Corporis ut ferres, sic tibi complacuit.
Eumenides, nihil est spirent quod Tartara, Christe
Gaudia cum vitæ sis mihi pollicitus.
Sufficient tibi quæ grates, quæ carmina pangam?
Sordida quod purgas, Et tegis ingluviem?
Retribuam tibi quid tanto pro munere Christe
Maxime, quid pœnis aut reus obijciam?
Quæ dabo cœlicolum Regi quæ munera, massa
Corpora mortalis quod sibi conciliat?

B

Nil

Nil nisi perpetuas do grates carmine, massa
Sordida nequicquam quod ^{abre} displicuit.
Sin mihi deficiunt vires, tu pectora grata
Suscipe, perfectus sic tibi perficiar.
Angelico sonat hinc collaudans gutture cælum:
Gloria sit Christo, Pax bona Christicolis.
Vos bona terrigenas vos mens, quò munera Christi
Cognita cælo sint & liget unanimes.
Protulerat pia quem genitrix fert oscula supplex,
Rustica sologens & stupet intuitu.
Interea nitoris fulgens qui sidera vestit,
Munera dent Reges quò sua, commonuit.
Poplitibus pia mens quid flexis mystica Christi
Volvere tu cessas? qua mora protrahitur?
Officij memor hic sinceris pectore laudes
Soluere quid cessas? heu nihil acceleras?
En satis alliciunt Reges te, querere CHRISTI
Limina quid dubitas, & fragile hospitium?
Nec tua dissimules cum primis gaudia, fundens
Carmina de Christo grex pie Pieridum.
Quin age latitias declares, munera dando,
Basia figendo grex bone Pieridum.
O puer Immanuel gaudes qui virgine nasci,
Reddere qui lapsis es potis auxilium:

Qui

Qui tibi mirifico me, præter crimina, iungis,
Fœdera qui pangis cum noua terrigenis:
Gratifica tibi nos promemus iubila voce
Annua, sis lapsis tu modò propitius.
Sint mihi tristitia te dempto gaudia, nobis
Omnia sordescant, & nihil aspiciant.
Tu nisi uiuifices, sunt pectora mortua, nostra
Crimina ni tollas, nos nece destruimur.
Tu nisi lethiferi serpentis vulnera sanes,
Toxica suffocant cor mihi pestiferum.
Tu nisi sidereo perfundas pectora rore,
Territa languescunt spe citò deficiunt.
Rex bone, sollicita fac cedant nubila mente,
Pectora splendorem quo mea concipiant.
Si modo pœniteant mortales, intima Christo
Pectora liquefcunt, si modò pœniteant.
Confiteor mihi non deberi munera tanta
Nomina pœnarum tot quia commerui.
Da, tua contuear quæ præbes munera quando,
Munera perpendam quàm tibi constiterint.
Ut pius incipiam concessos ducere soles
Munera sic constans ut peragam officij:
Ut pius incipiam conformes edere cultus,
Viuere contendam nec tibi dedecori.

B ij


Da

*Da tibi perpetuò conseruem conscia recti
Pectora, da Stygias ut tolerem insidias.
Non mea sollicito tristentur Pectora vultu,
Crimina Rex Stygius si mea commemoret.
Tu quoq; propitijs luctanti suggere verba
Blandula: uiuat spes ut premar exilio.
Sint tibi Pierides cura, sint cœlica cura
Dogmata, ne maculet nos fera Barbaries.*

FINIS.







Ec 553

ULB Halle 3
003 144 577




f

PA 502

V17







MEDITATIO
IN NATALEM SAL-
VATORIS CHRISTI IE-
SV, DEI ET MARIAE VIRGI-
nis Filij carmine sotadico.

autore

M. NICOLAO MAIO.



Ad lectorem.

*En mea Calliope celebrauit carmine Christum
Grataq̄ pro meritis gestijt esse D E O.
Si quid inest duri, velut est, hoc quaeso feratur
Candore attribui quem sibi quisq̄ velit.
Seu tamen à dextra relegas seu parte sinistra,
Et sensu & numeris conuenienter eunt.*

ERFVRDIAE
Georgius Bauman excudebat.

M. D. LXXVI.

